1386.

Ex Libro Privilegiorum Capituli Cracoviensis

93.

30

Super tres cum medio Laneos alias Szreb in Villa Jemielno cuidam Stopak à Ducibus Opaviæ, et Ratiboriæ donatos.

Nos Joannes Dei Gratia Dux Oppaviæ et in Rathibor, Significamus tenore præsentium omnibus et singulis qui præsentem literam legerint, vel legi audierint. Quod præclarus Princeps Joannes Dux Rathiboriensis Divæ Memoriæ Pater noster, attentis fidelibus servitiis quibus sibi dilectus fidelis Szczepan Stopak de Staw diu complacere meruit, et speciali gratia sibi et suis legittimis Successoribus et hæredibus dedit tres cum medio laneos dictos Polonicales Szreb in villa Jemielne cum hortulanis, cum omnibus censibus, utilitatibus fructibus, cum omnibus Pratis, pascuis, rubetis, sylvis, cum omnibus Stagnis sive Piscinis, sive locis pro eisdem valentibus, cum omnibus aquis, aquæ fluxibus, et cum omnibus attinentiis, quæ ab antiquo ad præfatos tres cum medio laneos spectare dinoscuntur

cuntur, cum omni dominio, servitiis et Juribus, demptis laboribus, alias roboty, et decimis, quæ genitor noster pro se conservavit, hæc quidem et fidelia, et continua servitia, quæ nobis fidelis dilecty Petrus Stopak Præfati Stephani filius exhibuit respiciend: exhibet, et in futurum est exhibiturus, hujusmodi donationem per Genitorem nostrum Divæ memoriæ Patri suo factam literis nostris Confirmavimus hujusmodi bona ad habendum et possidendum hæreditarie et Perpetuo utifruendum, in omnibus punctis sicut superius est descriptum, eadem ad vendendum, et condonandum, et commutandum, et in suos, suorumque successorum utilitatem et commodum convertendum, prout melius sibi videbitur expedire, de quibus nobis fidelis noster dilectus Petrus Stopak et sui successores servire debent cum uno equo de quatuor marcis, et cum balista bona, toties quoties nobis hoc, aut successoribus videbitur fore necessarium. Cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est subappensum. Datt Ano Dni 1386. die Dominico post Procopii. Præsentibus ibido fidelibus nris dilectis, Cunrado de Czela Pascone de Mgra aq Budinoy Jecho de Jeykowicz Ruperti von Popelaw Urban von Czeszhe et aliis quam pluribus hominibus fidedignis.